

**Dissertatio inauguralis, de scorbuto ... / Eruditorum examini subicit
Jacobus Home, Britannus.**

Contributors

Home, James, 1758-1842.
University of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1781.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/j5pch3kt>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>




D I S S E R T A T I O

I N A U G U R A L I S,

D E

S C O R B U T O.



Mr Duncan

For

his Most ob: humble Servt

The Author

LF

DISSERTATIO INAUGURALIS,

DE

S C O R B U T O,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMIQUE IN MEDICINÆ HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

J A C O B U S H O M E,

BRITANNUS,

Soc. Med. Reg. Edin. Sod. Ext.

Soc. Phy. Soc. Hon.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academice Typographos.

M,DCC,LXXXI.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE

PHYSICAL SCIENCES

AND

THE

LIBRARY

OF THE

LIBRARY

OF THE

LIBRARY

OF THE

LIBRARY

OF THE

LIBRARY

Viro Celeberrimo,

Et

Hujus Seculi Medicorum Principi,

J O H A N N I P R I N G L E,

E Q U I T I B A R O N E T T O,

Magnae Britanniae Regis Medico Extraordinario,

Reginae Medico Ordinario,

&c. &c. &c.

J A C O B U S H O M E

S.

Cui potius quam tibi, Vir Illustrissime, qui, non solum universam medicinam, sed hanc rem prae aliis, tuis experimentis coluisti, illustrasti, ornasti, Dissertationem hancce dicarem?

Quanquam, vero, fama tua nequaquam tali egeat auxilio; liceat autem, tibi, literarum omnigenarum patrono, omni virtute privata ornato, primitias hasce juveniles, exiguum quamvis observantiae monumentum, consecrare. Ut diu laetus, viribusque integer intersis populo faventi, semper in votis erit.

From the collection of the

JOHANNI PHILIP

1711-1712

From the collection of the

JOHANNI PHILIP

1711-1712

From the collection of the

JACOBUS HOMER

From the collection of the

JOHANNI PHILIP

From the collection of the

JOHANNI PHILIP

From the collection of the

JOHANNI PHILIP

From the collection of the

JOHANNI PHILIP

From the collection of the

QUONIAM omnes, qui summos in Medicina honores ambiunt, ad aliquod scientiae et progressus specimen, in publicum emittendum, eadem dira cogit necessitas; igitur, ut Academiae hujusce, semper venerandae, institutis legibusque obtemperem, de Scorbuto differere fert animus.

Ex immensa materie, qua abundat scientia medica, non hoc argumentum selegi, quia aliquid novi aut incogniti me posse proferre credulus putavi; sed quia nullus, ex magna morborum multitudine, misera quibus mortalitas obnoxia est, et ob ipsam morbi naturam, et ob maximas strages, quas terra marique edidit, medici attentione dignior apparuit.

Praeterea,

Praeterea, occasio, qualis dissertationes inaugurales scribentibus rarissime contingit, morbum ipsum in omni stadio et diversis sub formis observandi, sese obtulit; classis enim Jamaicensis, morbis, Scorbuto praesertim, multum vexata, nuperrime his appulit oris. Illorum indulgentia, qui aegrorum curationi praefuerunt, eos visitare concessum fuit. Quoniam, autem, in hoc casu, Scorbutus haud multum fuerit diversus ab eodem morbo, tam multis aliis descripto, potius ex auctoribus colligere, quam observationes proferre juveniles, placuit.

Omnia, igitur, quae sequuntur ex auctoribus deprompta sunt; et dolendum equidem est, quod, ex tanta auctorum turma, qui de hoc morbo scripserunt, omnes magis ad theorias vanas proponendas, vel ad distinctiones inutiles instituendas, quam ad

Naturae

Naturae observationem, animos attendisse.
 Hinc ‘ Scorbuti nomen apud auctores me-
 ‘ dicos, morbum designat adeo multiplicem
 ‘ et facie diversum, ut non idem, sed alius
 ‘ atque alius esse videatur*.’

Optime, igitur, de medicis meritus est
 Illustrissimus Lindus, qui in primis tales
 monstravit errores, et Scorbuti nomini cer-
 tos imposuit fines.

Ex hoc tempore, medici, magis illi pesti-
 marinae, nautis Scylla et Charybde gladiove
 hostili infestiori, attenderunt. Multae per
 varios auctores, et in omni orbis terrarum
 parte, observationes factae sunt, per quas
 Scorbuti theoria certior evasit, et ejus cura-
 tio tandem medicinae opprobrium esse desiit.

A R G U-

* Mead's Medica Monita, cap. xvi.

A R G U M E N T U M.

SCORBUTI antiquitas, I.—Definitio, III.
—Symptomatum narratio, VIII.—Cadaverum
sectiones, XV.—Diagnosıs, XVII.—Causa
Proxima, XVIII.—Causae Remotae, XXIV.
—Symptomatum Ratio, XXXIX.—Prog-
nosis, XLV.—Medendi Methodus, XLIX.
—Prophylactica, L.—Curativa, LIX.—
Palliativa, LXX.—Noçentia, LXXIII.

D I S S E R T A T I O

I N A U G U R A L I S,

D E

S C O R B U T O.

I.

ANTE seculum decimum sextum, apud auctores historicos, aut medicos, tam obscura Scorbuti mentio fit; ut pro novo et antiquis incognito morbo a nonnullis habeatur. *Friend's History of Medicine, tom. 2. p. 387.*

A

II.

II.

Magis autem verisimile videtur, morbum hunc dirissimum antiquitati non ignotum fuisse, causas vero ob varias, haud tam funestas olim ac nuper edidisse strages; ideoque, ab antiquis, qui nobis morborum historias parum accuratas tradiderunt, minus observatum fuisse. *De Haen, Problemata de Scorbuto, § 1.*

III.

Nosologorum ante omnes alias, placet
DEFINITIO Culleniana.

‘ In regione frigida post victum putrescentem, salitum, ex animalibus confectum, deficientem simul materie vegetabili recente; asthenia; stomacace; in cute maculae diversicolores, plerumque livescences, praefertim ad pilorum radices.’ *Cull. Gen. Morb. tom. 2. Cl. iii. Ord. iii. Gen. lxxxvi.*

IV.

IV.

In omni orbis terrarum parte apparuit Scorbutus, non modo sub Sole ardente, verum etiam, sub circumgelatis Polis; frequentior autem mari quam terra invenitur; et maxime regiones septentrionales et paludosas vastat.

V.

Medici, semper imitatorum servum pecus, Scorbutum, in frigidum et calidum, in terrestrem et marinum, in acidum et alkalinum, et in multas alias species fictas, olim diviserunt. *Boerhaav. Aph. 1153. Lind on the Scurvy, edit. 3. part. 1. chap. 2. 3. 4.*

VI.

Sed jam perierunt hae distinctiones (V.), scilicet, quia naturae fideli observantia carent; et ab optimis nunc conceditur auctoribus, unicam tantum Scorbuti speciem esse, multum vero gradu variantem. *Sir John Pringle's*

Pringle's appendix to the Diseases of the Army, p. 410. De Haen, Problemata de Scorbuto, § 3. 4.

VII.

Tam varia exhibet symptomata morbus hicce Proteiformis in hominibus diversis, ut omnia ordine memorare perdifficile sit; in stadia distincta dividere, impossibile; nonnulla enim per totum decurrunt morbum, et aequae omni stadio communia sunt.

VIII.

Incipit, plerumque, languore; torpore; vultu pallido et lurido; animi demissione; et, levem post exercitationem, dyspnoea inusitata, et mira lassitudine. Interdum, vero, ab ipso morbi initio, symptomata graviora adfunt.

IX.

Brevi, gingivae mollitie, pruritu, tumore, ulcusculis, fungo, putredine, et sanguinis

nis profluvio frequenti, vexantur; dentes vacillant; spiritus foetet; cor palpitat; crura oedematosa fiunt; dolores nunc pleuritidis, nunc rheumatismi aemuli, adfunt. Varias per partes corporis superficiei, maculae largae, ecchymoseos similes, ex colore caeruleo plumbeo, in nigrum demum desinentes; pustulae parvulae, miliariam referentes; et ulcera raro pus benignum, faniem vero atram, sanguinolentam, effundentia, disperguntur.

X.

In ultimis Scorbuti stadiis, nullus ex morborum turba, quibus mortalitas obnoxia est, tam lugubrem, aut tam funestam exhibet picturam. Omnia symptomata priora (IX.) in pejus ruunt; carie corripuntur, et ab epiphyseis separantur ossa; genua tumunt; tendines, praesertim pedum, rigidi evadunt, et crura retro trahuntur; interdum salivatio, nullus quanquam adhibeatur mercurius, supervenit; ex omni fere corporis

corporis parte ruit sanguis; in quibusdam, de novo redintegrantur vulnera olim inflicta, et ossium fractorum calli solvuntur; et, in omnibus, vulnus levissimum, in ulcus pessimum, fungositate foedum, vel in gangraenam, cito ruit.

XI.

Interdum, lethum lento progreditur gradu; interdum, lenissimum post motum, vel etiam recenti expositis aëri, syncope, vel subita advenit mors; interdum, horrida aliorum comitante caterva morborum, placida demum morte, quiescit aeger.

XII.

Per totum morbi cursum, pulsus, quod ad frequentiam, naturalis; semper autem debilis, et ad minimum motum citatus, intermittens. Respiratio saepissime laboriosa, cum tussi frequenti.

XIII.

XIII.

Appetitus, quanquam vires admodum fractae sint, tamen haud imminutus manet; vehementer expetit vegetabilia aeger; aliquando nausea, vomitus, et cardialgia adfunt. Alvus admodum varia est; nunc naturalis; nunc pertinaciter astricta; nunc vero gravis diarrhoea, falso Dysenteria vocata, accedit. Urina, sub morbi finem, parca, rubra, et foetida apparet, sedimentum lateritium aut furfurosum deponens, et oleosam pelliculam in superficiem habens. Cutis arida et anserina est, et perspiratio imminui videtur.

XIV.

Admodum varius et in horas mutabilis est animus; nunc, nuncio acerbo demissus, nunc vero, rumoribus laetis, immenso gaudio elatus, solita mentis vis et constantia, nullo olim periculo superanda, pereunt: Æger fit timidus, et saepe infantis instar lachrymas effundit. Sed, quod mirum

rum est, in orci etiam faucibus, intellectus functiones integrae supersunt.

XV.

Cadaveribus sectis, viscera omnia, cerebro excepto, grandiora, molliora, aut putrida apparent; cavitates fere omnes, tela cellulosa, et musculorum intervalla, aqua, sanguine, vel fero, putridis, corrosivis, implentur; musculi ipsi teneri, molles, gangraenosi sunt; cartilagines et ligamenta fere dissolvuntur; epiphyfes ab ossibus separantur. Denique, ossa ipsa carie et exostosi exeduntur. *Poupart apud Lind, part. 2. chap. 7. Rouppe de Morbis Navigantium, p. 150. Petit traité des Os. p. 386. Lind, postscript. § 1.*

XVI.

Sanguis, praesertim sub morbi finem, deductus, fuscus aut lividus apparet, cito putrescit, nec solito coalescit more; crassamentum tenerum et atrum est, et serum acre

et

et subviride. *Huxham. chap. 5. Boerb. et Van Swieten. Aph. 1151. No. 3. Hoffman, tom. 3. de Scorbuto, § 14. Rouppe, p. 145. Mead's Discourse on the Scurvy, p. 441. Lind. p. 311. Postscript, § 3.*

XVII.

Scorbuti DIAGNOSIS ab Elephantiasi, raro in hisce terris morbo, et a Syphilitide, cujus symptomata omnibus innotescunt, ex jam tradita definitione (III.) facillima erit.

XVIII.

De horum phaenomenôn CAUSA PROXIMA, multum deliraverunt medici; alii ad statum sanguinis sulphureo-salinum, vel salino-sulphureum, alii ad sanguinis statum acidum vel alkalinum, &c. eam referentes. *Lind, part. 3. chap. 2.*

XIX.

Cadaverum vero sectiones (XV.), et sanguinis detracti status (XVI.), solida laxitate et debilitate, fluida putredine, affici demonstrant.

XX.

Quoniam autem causa proxima, semper simplex, ex una tantum horum (XIX.) constare potest; utra pro causa Scorbuti proxima est habenda? An solidorum debilitatem generat fluidorum putredo; an vero, e contrario, putredinis causa habenda est debilitas?

XXI.

Harum opinionum (XX.) prior magis aridet. *1mo*, Quia, uti postea apparebit, debilitas nunquam per se putredinem inducere potest. *2do*, Quia nutrientibus solummodo, etiam ab morbi initio, curari potest, validissimis tonicis frustra tentatis. *3tio*,
Quia

Quia ex nutrientibus, non illa quae validissimam, sed quae infimam nutriendi potestatem habent, Scorbuto medentur. 4^{to}, Quia, fluidorum putredine praesente, adest morbus, sublata tollitur.

XXII.

Ex omnibus hisce (XXI.), igitur, fluidorum putredo Scorbuti causa videtur esse proxima. In hoc autem morbo minime putandum est, fluida eundem putredinis gradum attingere, quem extra corpus acquirunt; quoniam talis putredinis gradus vitae muneribus statim infestissimus foret.

XXIII.

Docet physiologia, animalium fluida, facillimo etiam in corpore, ad putredinem perpetuo tendere, quam cito attingunt:

I. Si cibus omnis, vel etiam si cibus recens, praesertim qui acido aut aëre mephitico

mephitico caret, quae ad corporis humani corrigendam putredinem Natura solers et provida suppeditavit, denegantur. *Boerhaav. Aph. 80. Gaub. Pathol. 149. Cullen's Physiology, cclvii. Gregory's Conspectus Med. Theoret. 478.*

2. Si in fluida fermentum putridum receptum fuerit; aut in corpore retenta, per excretiones impeditas, materies illa putrida, quae foras eliminari debuisset. *Gregory, C. M. T. 480.*

XXIV.

Scorbuti CAUSÆ REMOTÆ vulgo in praedisponentes et excitantes dividuntur; distinctio tamen, quae interdum obscura est. Causae praedisponentes, vel ad debilitantia, aut animi pathemata deprimentia, referuntur.

XXV.

I. Quicquid systema debilitat Scorbuti fit causa praedisponens; namque valetudi-

ne,

ne, medicamentis, morbis debilitatos, quive antea hoc morbo laborarint, praecipue aggreditur, quando causae faeviunt excitantes.

Terra, quoque, maxime inter illos invenitur, quos dira coegit necessitas, victum per vitae genus otiosum et sedentarium quaerere (*Van Swieten. Aph. 1150. De Haen, § 3.*). In exercitu, pedites semper magis quam equites Scorbuto vexantur; quia illi, minus quam hi, occupati sunt. *Cramer, apud Lind, p. 416.*

Mari, eandem ob causam, frequentius occurrit, et magis faevit in navibus longis, quam in navibus onerariis; quia in his haud tam numerosi sunt nautae, ideoque corporis exercitatione magis constante utuntur, quam in illis. Observatur, quoque, qui maxime ignaviae dediti sunt, uti milites classici, semper primos Scorbuto corripit. *Roupe, p. 103. Lind, p. 74.*

XXVI.

Horum (XXV.) ratio facillima erit, si consideratur, omnes causas, quae excretiones, praesertim quae illam per cutem, impedire possint, in corpore debilitato, potentius vires suas exercere. Hinc Scorbutum non directe inducit, tantum causarum excitantium actioni favet debilitas.

XXVII.

II. Animi pathemata deprimentia; dicitur enim, quibus animus est impavidus et laetus, tardius Scorbuto corripitur, et facilius sanari, quam quorum mens timida et anxiosa est. Observatur, etiam, Scorbutum illos, qui inviti ad bellum trahuntur, semper primum invadere. A perelegante narratur auctore, quicquid ullo tempore spes nautarum antea vividas frustraretur, vel patriam et amicos visendi expectationem eriperet, id semper novum huic morbo vigorem addidisse (*Anson's voyage*). Nec, denique, defunt

defunt exempla ubi instantis praelii spes
Scorbuti vehementiam temperarit. *Ive's*
journal, apud *Lind*, p. 91. 92.

XXVIII.

Horum animi pathematum (XXVII.) in
hoc morbo inducendo, actio pendere videtur;
vel, *imo*, A debilitate quam haec gignunt
(*Gregory C. M. T.* 291.); aut, *2do*, A per-
spiratione impedita (XXIII. 2.), quam, si
quae fides aphorismis Sanctorianis habenda
est, haud parum minuunt. *Sanctorius de*
persp. § 7. *aph.* 2. 8.

Hoc modo causae excitantes; illo, autem,
causae praedisponentes, evadunt.

XXIX.

Causae Scorbuti excitantes, vel in has,
quae per se; vel in illas, quae non per se, nisi
prioribus adjunctae sunt, morbum inducere
queunt, dividuntur. Prioris generis sunt, nu-
trimenti

trimenti defectus, diaeta nautica, vegetabilium inopia, antacidorum abusus; posterioris sunt, humiditas, frigus, aër impurus, immundities.

XXX.

I. Nutrimenti defectus. Fertur enim, eos qui fame pereunt, ante mortem, symptomatibus Scorbuti levibus corripi. Idem narratur de iis qui, religionis causa, longam inediam tolerant. Neque causa hujus latet; provida enim Natura nobis famem dedit, 'qua incitaremur ad res ingerendas, quales idoneae fuerunt ad corporis jacturam reparandam, ejusque corruptionem arcendam et corrigendam.' *Gregory, C. M. T. 557.*

XXXI.

II. Diaeta nautica. Diaeta haecce ex carnibus salitis, ex pane haud fermentato, ex aqua impura, &c. putrescentibus, constans, ut dira docet

docet experientia, hunc morbum facere reperitur; quod explicandum est, vel ex flatu ciborum putrido, vel ex parvo nutrimento, quod talis diaeta continet.

XXXII.

III. Vegetabilium inopia. Terra, ex tali inopia Scorbuti orientis multa extant exempla. *Backstrom apud Lind, p. 400. Sir John Pringle's Discourse on preserving the health of Mariners, p. 11.*

Mari, quoniam semper cum diaeta nautica (XXXI.) conjungitur haecce causa, malum focios navales per longa itinera maritima nunquam non, citius feriusve, infestat.

Non frustra enim frugum omne genus appetimus; quoniam ob aërem mephiticum, cujus copiam continent, et ob vim acescentem, quam possident, optima antiseptica sunt (XXIII. 1.) quae corpori animali applicari queunt.

XXXIII.

IV. Antacidorum abusus. Quando mos hifce pro lithonthripticis utendi nuperrime tam magnopere invaluit, Scorbuti veri ab illis, praefertim alkalinis causticis, nimis diu ufitatis, inducti, quaedam extiterunt exempla (*Huxham on putrid Fevers, chap. 5.*). Hujus ratio ab acido perduto, aut aëre abforpto (XXI. 1.) petenda est.

XXXIV.

V. Humiditas. Ex variis compertum est historiis, olim in Europa Scorbutum loca demissa et palustria saepissime visitasse, et maximas ibi edidisse strages. Etiam nunc in Hollandia paludosa, tempore praefertim brumali, frequentissime observatur. *Van Swieten, aph. 1150. Sir John Pringle's Diseases of the Army, p. 9.*

Mari, quoque, saepius tempestat procel-
lis et nubibus foeda, quam sereno sub coe-
lo, apparet. *Anson's Voyage.*

XXXV.

XXXV.

VI. Frigus. Verissimum quidem est, Scorbutum, in regionibus aquiloni vicinis, quam in illis Sole sub ardente jacentibus (IV.), magis endemicum; et frequentiore esse summa hieme, quam temporibus aestivis. Nonnulli quoque certos posuere caloris limites, quos intra nunquam apparet Scorbutus (*Hulme's Thesis inaug. p. 36.*). Sed tamen valde dubium videtur, an hoc frigoris solius actioni, an potius causarum occasionalium concursui majori in tali situ, et hisce temporibus, tribuendum sit. *Sir John Pringle's discourse, p. 10. Van Swieten, aph. 1150.*

XXXVI.

Reliquae causae excitantes (XXIX.), uti aër impurus, immundities, quando Scorbutus apparuit, hunc maligniorem reddent. Haec
et

et priora (XXXIV. XXXV.) morbum inducere videntur, perspirationem diminuendo vel impediendo (XXIII. 2.), quod, ut ex experiments staticis constat, potentissime efficiunt.

XXXVII.

Quo longius et fortius agunt hae causae remotae (XXV.—XXXVI.), et quo major harum est concursus, eo magis epidemicus et malignus erit Scorbutus.

XXXVIII.

Ex hoc (XXXVII.) igitur facile intelligi potest, quam ob causam Scorbutus frequentius appareat, et magis saeviat, mari quam terra; cur nautae illo tam crudeliter affligantur, ducibus eorum integra valetudine adhuc utentibus; quare oppida quaedam obsidione cincta adeo infestaverit; quam obrem nonnullis in regionibus endemicus fit; quam ob causam tanto frequentior olim fuerit

erit in Europa, quam nunc est; quare tam raro intra Tropicos sese manifestet; &c. &c.

XXXIX.

Ex putredinis in sanguinem et solida effectibus notis, omnium fere Scorbuti SYMPTOMATUM RATIO facile reddi potest.

XL.

Inter primos putredinis effectus erunt, solidorum cohaesio minor, et sanguinis ipsius fluiditas major (XVI.). Sed, ex quo haecce sanguinis fluiditas aucta pendeat, an ex majoris salium ammoniacalium quantitatis evolutione, ut putat Celeb. Cullenus (*Physiology*, § cclvii.); an ex aëris mephitici defectu, ut censuit Illust. M'Bridius (*Experimental Essays*, *passim.*), judicent periti.

Ex utroque autem effectu oriuntur haemorrhagiae, sanguinis infra cutem effusiones, ulcera foeda, solidorum in gangraenam proclivitas, &c.; quae omnia, citius in gingivis,

gingivis, stomacacen efficientia, quam in ulla alia corporis parte manifesta erunt ; nempe quia ibi caro mollior, teneriore obducta epidermide, et magis aëri exposta, quam alibi est.

XLI.

Quoniam ex physiologia patet, vigorem in certa solidi simplicis cohaesione, et in quodam vis nervosae solidorum vitalium statu, consistere ; debilitas, igitur, status vigori oppositus, ex alterutrius horum, et multo magis igitur ex utriusque simul diminutione oriri potest. Quod in Scorbuto accidit ; solidis enim putredine affectis, cohaesio eorum imminuitur (XL.) ; et ex fluidorum putredine (XXII.), nervis totius corporis applicatur potestas sedans atque infirmans, qua non major neque gravior vis debilitans, ut ex peste et febribus putridis constat, corpori animali applicari potest. *Hoffman, de putredine, tom. 4. § 24. Cullen's First Lines, § 95.*

XLII.

XLII.

Ex debilitate, hoc modo explicata (XLI.), multa symptomata fluunt. Quoniam observatur, omnem corporis motum eo magis stimulantem esse, quo magis debile corpus (*Cullen's First Lines*, § cxxiv. 2.); Hinc in scorbuticis, pulsus, et cum illo consentientis respirationis citatio, et usque ad syncopen vel suffocationem utriusque perturbatio; hinc quoque crura oedematosa, hydropum genera varia, cordis palpitatio, &c.

XLIII.

Quotidiana testatur experientia, quendam animo inesse tonum, corporis vigorem pari passu comitantem; hinc igitur ex corpore scorbuticorum debilitato sequuntur animi timor et moestitia. Ultra vero progredi audax et nefas jure haberetur; summa enim cum sapientia, Deus Omnipotens animum inter et corpus commercium celavit, et atra texit caligne.

XLIV.

XLIV.

Quaquam pleraque Scorbuti symptomata hoc modo explicari (XL.—XLIII.) possunt; tamen adhuc ut explicetur restat, quam ob causam adeo afficiantur cartilaginee et ossa ipsa; quamobrem tendines indurentur, contrahantur; quare scorbutici contagioni febrium aliarum tam diu resistant (*Rouppé*, p. 143. *Lind*, p. 504. *Hulme's Thesis*, p. 15.); cur Scorbutus febre vacet; quare nunquam contagiosus sit, cum febres, multo minore putredinis gradu stipatae, per contagionem tam lethales sunt, &c. &c.

XLV.

In Scorbuto PROGNOSIS pendet,

I. Ab istis morbi symptomatibus, quae, magnam fluidorum putredinem, aut solidorum debilitatem, indicant.

II. Ab aegri quod ad vegetabilia situ.

XLVI.

XLVI.

Symptomata, quae magnam fluidorum putredinem (XLV. 1.) denotant, ideoque pro rata parte crescens periculum, sunt;

1. In sanguinis massa; A. sanguinis color a naturali recedens et ad nigrum vergens, textura infirma, proclivitas ad putredinem rapida; B. haemorrhagiae, quarum periculum per magnitudinem et locum aestimandum est; C. Effusiones magnae feri flavi vel cruoris nigri.

2. In excretionibus; dejectiones foetidae; urina ruberrima, olida.

3. Totius corporis, spiritus, ulcerum, locorum quibus epispastica imposita erant, foetor. *Cullen's First Lines*, § xcix.

XLVII.

Symptomata debilitatis (XLV. 1.) ex quibus infauſta petenda est prognosis, sunt;

1. In functionibus vitalibus (XII.); pulsus debilis, intermittens; ad syncopen ex

D

motu

motu vel situ erecto proclivitas; respirationis exilitas, difficultas.

2. In functionibus naturalibus (XIII.); anorexia, nausea, vomitus; alvus pertinaciter astricta aut nimis soluta; cutis arida et anserina.

3. In functionibus animalibus (XIV.); motuum voluntariorum debilitas; moestitia, timor. *Cullen's First Lines*, § xcvi.

XLVIII.

Sed, potius a situ aegri quod ad vegetabilia (XLV. 2.), quam ex morbi symptomatis a debilitate aut putredine pendentibus (XLV. 1.), deducenda est prognosis; namque, quando Scorbutus per longum duravit tempus, vegetabilibus sine recentibus, sanari nequit; diaeta autem vegetabili adhibita, in ultimis etiam stadiis curatio haud difficillima evadit.

Raro, igitur, si vegetabilium copia est, infausta prognosis. Si autem omnino defunt,

defunt, incipiente etiam morbo, infauſta.

XLIX.

Scorbuto MEDENDI RATIO apte dividitur in methodum prophylacticam, curativam, palliativam. De quibus ordine.

L.

Scorbuti, uti omnium morborum, *Prophylaxis*, in cauſis remotis amovendis et vitandis conſiſtit; corrigendae igitur ſunt praediſponentes (XXV.—XXVIII.), evitandae ſunt cauſae occaſionales (XXX.—XXXVI.).

LI.

Terra, cauſas amovere remotas (L.) adeo manifeſtum et facile eſt, ut nullo egeat commentario.

LII.

LII.

Mari, autem, quoniam causas amovere remotas difficillimum, immo impossibile evadit, remedium prophylacticum ad diram hancce avertendam pestem maritimam accommodatum, anxie et diligenter exoptarunt respublicae nauticae. Hinc remedia multa, diversissima, specifica dicta, decantata fuerunt, uti sales alkalini; acida fossilia, vegetabilia; cortex Peruvianus diversis sub formis; vegetabilia antiscorbutica, vel ficcata, vel sub formulis tincturae, essentiae, electarii, &c. Horum autem omnium fama brevi periit.

LIII.

Nec tamen vana aut irrita fuerunt vota. Laboribus enim Ill. Pringle, Lind, M'Bride, Cook, nunc invenitur diaeta, non medicina, Scorbutum praecaveri. Optime, igitur, hi illustrissimi de genere humano meruerunt,

ruerunt, et praesertim de te, Britannia, corona civica dignissimi, propter tot millium tuorum civium conservationem.

LIV.

Mari, igitur, in carnis recentis locum, optime substitui potest jus portabile.

Pro vegetabilibus recentibus, brassicae quaedam praeparatio, haud ignota culinis, Germanisque *Sour-kROUT* appellata, merito laudatur. *Pro condiendi methodo, vid. Lind, p. 170. Forster's Observations made in a voyage round the world, p. 628.*

LV.

Pro potu communi habeant nautae cerevisiae copiam; hac enim deficiente, et vi et frequentia saevior evadit Scorbutus. *Lind, p. 74.*

Hujus locum optime suppleant liquores ex abiete et pomis confecti, vulgo *spruce beer,*

beer, cyder, dicti; fucci aurantiorum et limonum inspissati; praesertim autem mustum hordeaceum (Anglice, *wort*), cujus usum felicem, quanquam primum ab eximio illo philosopho M'Bride ex theoria fuit laudatum, jam satis larga experientia demonstravit. *M'Bride's Practice. Cook's Letter to the Royal Society. Sir J. Pringle's Discourse.*

Quibus vero res suppetunt, vino generoso, vel liquore *Punch* dicto, utantur.

LVI.

Aër navis, semper fere ob humiditatem vel ob mephitim noxius, per ventilationem frequentem renovetur; aut per ignem, per sulphuris, pulveris pyrii, aceti, spiritus ardentis fumos, magis purus reddatur.

LVII.

Secretiones et excretiones corporis per idonea medicamenta promoveantur. Denique,

que, omnia munera nautica quam levia et
aequabilia funto; et quam saepissime labo-
ribus ludum jocofque misceant.

LVIII.

Si ad haec omnia (LII.—LVII.) accurate
attendatur, navibus raro magnam inferet
stragem morbus hicce dirus; et nautae,
patriae nostrae libertatis custodes fideles, e-
jusque injuriarum vindices lubentes, a Scor-
buto incolumes ad novas terras, perque in-
tentata aequora, viam possunt explorare.

LIX.

Cum vero ad prophylaxin non attendi-
tur, vel quanquam ad illam attendatur, si
nihilominus appareat Scorbutus, tunc ad
methodum curativam (XLIX.) confugien-
dum est, quae in morbi causam proximam
tollendo consistit.

LX.

LX.

Fluidorum, igitur, putredo corrigenda est per,

1. Regimen antiscorbuticum.
2. Medicamenta antiseptica.
3. Excretiones auctas.

XLI.

Regimen antiscorbuticum (LX. i.) consistit in

- A. Causis amovendis remotis.
- B. Vegetabili diaeta utenda.
- C. Carnis recentis usu.
- D. Potu fermentato.

LXII.

De causis amovendis remotis (LXI. A.) nihil ab eodem consilio in prophylaxi, ubi (L.—LVII.) fatis superque jam dictum est, differt.

LXIII.

LXIII.

Diaeta sine vegetabilium recentium (LXI. B.) frustra medicina paratur, cum per longas morbus invaluit moras (XLVIII.). In Scorbuti cura, vegetabilia quaedam, antiscorbutica dicta, naturae plerumque acris, classis tetradynamiae Linnaei Systematis, prae aliis, omnibus fere auctoribus laudantur, et usurpantur. *Linn. Mat. Med. p. 159.*

Quoniam, vero, ex fatis larga experientia constat, vegetabilia, et natura et virtutibus diversissima, Scorbutum curasse, qualia sint forsan had multum refert. *De Haen, Problemata de Scorbuto, § 2. 4.*

LXIV.

Cum consideratur vegetabilia, utcunque aliter sint diversa, omnia tamen plus minusve acescere, et aëra mephiticum continere, quorum ambo maxime antiseptica sunt; certe illa, igitur, quae maximam aëris

E mephi-

mephitici quantitatem continent, quae maxime aciescentia, quae maxime nutrientia, denique quorum magna copia ingeri possit, aliis omnibus anteponenda sunt. Hinc ad fructus, praesertim *acido-dulces*, et ad herbas *oleraceas*, decurritur. Qualiacunque tamen sint vegetabilia, primo caute assumi debent, ne cruentum alvi fluxum inducant.

LXV.

Carne recente (LXI. C.) quibusdam in casibus Scorbutum depulsum fuisse, haud defunt exempla quae probant. *M^r Bride's Essays, p. 183.*

Propter autem talis diaetae naturam putrescentem semper cum diaeta vegetabili conjungi debet.

Si, quantum diaetam in hoc morbo spectat, quaedam carnes aliis anteponendae; certe minus alkalescentes, hoc est, illae quae in putredinem minus praeae, uti animalium juniorum, herbivororum, domesticorum, et recenter occisorum carnes, eligendae sunt.

Ut locum medium vegetabilia inter et animalia tenet lac, in hoc morbo optime usurpari potest. *Mead on the Scurvy, p. 445.*

LXVI.

Liquores imperfecte fermentati (LXI. D.), propter vim acescentem et aëris mephitici copiam, non minus in cura, quam in prophylaxi (LV.), utiles sunt.

LXVII.

Methodus secunda, per quam fluidorum putredinem removere proponitur, est, per ea medicamenta quae vim putredinis corrigendae possident, Antiseptica dicta (LX. 2.). Horum copiam nobis suppeditavit provida Natura; pauca tamen, debita quantitate, usurpari possunt. Camphora a quibusdam (*Anderson's Thesis inaug. p. 34.*); aër mephiticus optimo cum successu ab aliis, exhibetur. *Dobson's Commentary on fixed Air.*

Omnibus

Omnibus autem antisepticiis anteponenda sunt acida, quorum acida vegetabilium nativa multo magis potentia sunt, quam acida fossilia, aut acida vegetabilium per fermentationem evoluta; quia aëris mephitici copiam habent; quia majori copia usurpari possunt; et forsan quia nutrimenti aliquid continent.

LXVIII.

Quoniam debilitas putredini favet, (XXVI.) in hoc morbo tonica utenda sunt, quorum praecipua sunt vinum et cortex Peruvianus.

LXIX.

Modus postremus putredinem amovendi est, excretiones augendo (LX. 3.); harum enim obstructione, et inducitur Scorbutus, et ingravescit (XXIII. 2.). In hunc finem

finem igitur medicamenta emetica, cathartica, diuretica, diaphoretica, lenissima et maxime antiseptica, prodesse possunt. Idem, magis tamen jucunde et tuto, mundities, et exercitatio viribus aptata, praestant.

LXX.

Cum ad Scorbutum curandum obtineri nequit diaeta vegetabilis, symptomata et dirissima et periculosissima levanda sunt; hinc *Methodus palliativa* (XLIX.).

LXXI.

Stomacace, haemorrhagiae variae, diarrhoea, salivatio, per astringentia, uti acida, elixir vitrioli, tincturam rosarum, alumen, &c. vel per tonica (LXVIII.) mitigantur. Foveantur tendines contracti. Si dolor aliquis magnopere urget, utenda, sed caute, vesicatoria.

LXXII.

LXXII.

In ulceribus scorbuticis, lenis adhibeatur compressio, ut fungi supprimantur; applicentur astringentia (LXXI.), ut sistantur haemorrhagiae; et antiseptica (LXVII.), ut melior evadat suppuratio, et ut corrigatur putredo.

LXXIII.

In Scorbuto medicamenta septica, stimulantia, mercurialia, evacuantia omnigena, admodum nocere solent; cujus rei ratio ex antedictis facile patebit.

LXXIV.

Si huic morbo ullus alius conjungitur, uti morbus primarius tractandus est. Scorbuto remoto, si phthisis, icterus, aut di-
rus succedat hydrops, per medicamenta hisce morbis dicata, tollenda sunt.

Hac

* * * * *

Hac differtatione ad finem tandem perducta, nil aliud reſtat quam ut obſecrem, chartulam juvenilem, cito perituram, vos, Profefſores dilectiſſimi, amici cariſſimi, et vos, caeteri ſtudiorum focii, leni corrigatis manu ; veniam quam petimus dabimusque viciffim.

F I N I S.

Hic dissertatione ad finem tandem per-
 ducta, nil aliud restat quam ut electores,
 christianissimi principes, cum peritiam, vos,
 illustres dilectioni, amice carissimi, et
 vos, cuncti Christiani, hanc hanc corrigatis
 tamquam; vestris quam penitus debemusque
 vobis.

F I N I S